

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 106

Ego in Dei nomine Garbannus et uxor mea Ratsint pro Dei intuitu vel pro animarum nostrarum remedio seu et pro eterna retributione per hoc testamentum donamus atque tradimus ad ecclesiam peculiaris patroni nostri sancti Petri principis apostolorum, que est constructa in pago Bedense supra fluvio Sura, ubi ipse dompnus Willibrordus corpore requiescit vel venerabilis vir Beonradus archiepiscopus et rector ecclesiarum preesse videtur, donamus, donatumque in perpetuum esse volumus et promptissima voluntate confirmamus, hoc est omnes res nostras in pago Wabarinse iuxta castellum nomine Zolveren in villa que vocatur Hagenen cum omni integritate, id est tam terris, casis, casualis, curtilis, hortilis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, liberis, libertis, conlibertis, rem quesitam et inquisitam cum adiacentiis suis et cum mancipiis omnibus vel cum omni germine suo, quantumcumque ibidem adfuit potestas, totum et ad integrum donamus et tradimus atque transfundimus ad ipsam iam dictam ecclesiam in Dei nomine perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, vendendi, commutandi, vel quicquid exinde facere voluerit pars ipsius ecclesie liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si nos ipsi aut ullus de heredibus nostris vel quelibet ulla opposita persona que contra hoc testamentum venire conaverit aut infringere voluerit, inprimis iram Dei omnipotentis incurrat. Actum anno XXIII regnante Karolo rege.